



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Apis Argvmentosa P. Georgij Schrötelij

Schrötel, Georg

Coloniæ Agrippinæ, 1633

Hortvs Conclvsvs. a.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46515](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46515)

magna patientia glutiam saluam meam, donec aliquando frui liceat dulcissimo illo fauo, quem præparauit diligentibus se: Sic tu me adiuua O clemens, O pia, O dulcis Virgo Maria. Quæ in cælis coronata triumphas in omnem æternitatem. Amen.

H O R T V S C O N C L V S

S V S. a

QVare Beatissima Virgo hortus ab Ecclesia nominetur, inter alios pulchrè ostendit S. Hieronymus: *b* Verè, inquit, hortus deliciarum, in quo sunt consita vniuersa florum genera, & odora-
menta Virtutum, sicque conclusus, vt nesciat violari, neque corrumpi vllis insidiarum fraudibus. Et rursus alibi: *c* Hortus conclusus soror mea Sponsa, hortus conclusus, fons signatus. Quod clausum est, inquit, atque signatum, similitudinem habet Matris Domini, Matris & Virginis.

Ruper-

a Cant. 4. b De Ass. Virg. c Lib. I. cont. Iouin.

Rupertus in hunc locum ait: *Emissiones tuæ Paradisus malorum punicorum, cum pomorum myrrha, & aloë id est, quidquid gratiarum, quidquid Virtutum, quidquid operationum cœlestium Mundus accepit, emissiones tuæ sunt, & vbi erant prius spinæ, vepres, carduus, vrtica, &c. ibi sit cyprus cum nardo &c.*

Alanus de Insulis, paulo copiosius de hoc horto nostro differit. Hortus, inquit, est *Maria, in quo non rosæ patientiæ, nec lilia virginitatis desunt: in quo rosa dominici corporis & sanguinis, in quo liliū castitatis. Conclusus, quia vtroque clausus, studio bonæ intentionis & consideratione rationis. Hortus conclusus, quia Angelorum custodia circumseptus. Soror mea per dilectionem, Sponsa per naturarum vnionem. Hortus conclusus, hic ideo repetitur, vt perfectio Virginis in actione, & contemplatione notetur, vel in duplici Virginitatis specie. Conuenit præterea horto, ait, vt sit equalis, septus, satus, distinctus, reclusus, & vber. Equalis, vt rigetur; septus, vt seruetur; satus, vt fructificet; distinctus, vt delectet;*

lectet; rectus, ut capiat aërem; vber, ut præbeat copiam. Et tu Virgo Dei genitrix fuisti vber hortus, copia plenitudinis, &c.

Prima habitatio, in quam Deus hominem creatum transtulit, fuit hortus, ut ibi pulchra Dei opera contemplaretur, iisque frueretur. Postquam verò culpa sua inde exclusus est, quasi aliqua eius memoria hæreat, pro ingenua recreatione, magno labore, & arte, alios sibi hortos comparat. In quo etiam Ethnici, sicut in ædificijs, ita & in hortis quãdam magnificentiam ostentârunt. Noti sunt illi pensiles horti in Babylone, inter miracula orbis numerata, de quibus Cælius Rodig. lib. 12. cap. 38. & alij.

Homini ergo exuli, Misericors Deus, alium hortum condidit, ut amisso altero, hunc longè elegantiolem admiretur, & certa ratione fruatur. Et licet superius de hoc egerim Tit. Paradisus voluptatis, hic tamen propter nouum elogium Virginis, aliquid addam.

x. Ad-

I.

Ad bonum & fertilem hortum, procuratur bona terra, non petrosa, non spinosa, aut tribulorum radicibus plena, quam maledictionem à Deo, propter peccatū accepit. *a* De huius autem noui horti terra, canit Ecclesia, *Benedixisti Domine terram tuam. a* Item, *visitasti terram, & inebriasti eam. Dominus dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum. b* *Benedicta hæc terra, & benedictus fructus eius.* Omnis maledictio ablata, etiam originalis culpæ.

2.

Terra. etiam hortorum nostrorum, debet ligonibus, pala, rastris, sulcari, mollesieri, & aptè complanari. Egregiè verò exercita est hæc Virgo., paupertate, ab infantia dilectissimi filij, & tota eius ætate: gladio etiam compassionis sulcata, ab ipso præsepio vsque ad cruce[m].

Sub-

a Gen. 3.*a* Psal. 64. *b* Item 84.

Subegit præterea Deus hanc terram
omni exercitio humilitatis, aliarumque
Virtutum.

3.

Complanata terra in varios ordines
distribuitur, areolarum, arborum sta-
tiones &c. Quis verò non miretur in
hoc cultissimo Virginis animo, pulchrū
ordinem omnium virtutum? quæ meri-
to dicere potuit, *ab æterno ordinata sum. a.*
Item, *ordinavit in me charitatem. b*

4.

Debet etiam hortus esse desuper a-
pertus, & soli expositus, vt ventis perfla-
ri, rorem ac pluuiam excipere possit. O
quam patens cor Virginis, radijs solis
expositum, quibus incaluit, & inexplica-
bile lumen accepit, afflata à Spiritu S. vt
Gabriel prædixerat. *Cælesti rore fœcunda-
ta, & varijs consolationibus irrigata,*

5.

Necesse etiam est, vt hortus sepi aut
muro

a *Prou. 8.*

b *Cant. 1.*

muro sit conclusus, ne bestia depascant herbas, aut teneriores plantas, & germina; Ne item fures fructus harpagent. Variè autem conclusa fuit Maria, sua Virginitate, ante, in partu, & post partum Virgo. Singulari etiam omnium sensuum, & cordis custodia, quo nullus hostis spiritualis penetrare potuit. Taceo Angelorum custodiam, quorum consortio assueta erat.

6.

Grati sunt horti, qui ab hominum tumultu separati sunt, & loco quieto siti. Quid verò quietius illo corde Virginis? Secretum meum mihi. *Dilectus meus mihi, & ego illi. Ducam eam in solitudinem, & loquar ad cor eius.* Quando aliqui volunt esse à curis, & negotijs liberi, ad suos hortos confugiunt. Ah quoties hæc Virgo ad arcana cordis sui confugit? Angelus illam solam inuenit, etsi desponsatam. Inuitat suum dilectum, extra ciuitatem ad locum solitarium. *Veni dilecte mi, egrediamur in agrum, commoremur in villis.* a Cant. 7.

7. Grata

7.

Grata etiam in hortis subinde est umbra. Est enim refugium in æstu, & imbre. Dicitur est huic horto, Spiritus S. virtus altissimi obumbrabit tibi. *Sub umbra illius quem desideraueram sedi, & fructus eius dulcis gutturi meo.* Sub cruce stetit filij, tempore passionis, sub umbra altarum dilectissimi filij, & in omnibus afflictionibus sub hanc umbram confugit.

8.

Fontium grati susurri in quibusdam hortis audiuntur, & quandoque etiam riuulorum: his hortus tempore æstus rigatur, aliquando in de se refrigerare, bibere, lauare licet. O quam diuite vena hæc Virgo rigata est in æruginis suis, magna solatia cælo lapsa sensit: *hausit aquas in gaudio de fontibus Saluatoris.* 2

9.

Audiuntur etiam subinde in hortis dul-

2. Esa. 12.

dulces auiū cantus. Quis nobis explicet recreationem animi, quam sensit in canendis psalmis? Tinniebant adhuc aures eius ex psalmodia Templi, cum adhuc ibi feruaret: Tinniebant ex Prophetijs de incarnatione Christi, ex cātu Angelorū in nocte Natiuitatis, Elifabethæ, Zachariæ, Simeonis, Annæ, &c. ex vocibus Christi infantis, & adolescentis: imò omnium creaturarum laudes audiebat iuxta canticum puerorum.

IO.

Ex præcipuis horti recreationibus etiam est varietas florum, pulchritudo, sua uolentia, raritas. Nihil est in illa benedicta anima, quod non floreat, non suaue fragret. Nullum corporis membrum sine Virtute mouit. Nulla Virtus in vllō Sanctorum refulsit, quæ non in hoc Virtutum horto in excellentiori gradu intenta sit. *Verè circumdata varietate.* Ah quoties descendit dilectus eius in hortum suum, vt videret &c.

II.

In hortis etiam Medicinales herbæ reperiuntur, atque utinam illis uteremur contra varios morbos. vltro & libenter nobis suppeditat. Quicquid ex arcolis illis elegantissimè dispositis carpinus, nobis salutare est. Sed balneo Mariæ aliquando opus est, igne charitatis, lacrymis contritionis, & amoris Dei.

12.

Finis hortorum est recreatio, & fructus: hortus sine fructibus non habet suam perfectionem. Quam dulce est frui aliquando fructu, ex arbore à nobis plantata; *Labores manuum tuarum manducabis.* Sicut ex arboribus fructus: ita ex Virtutibus merita crescunt. Quam benedictus fructus ventris huius Virginis. Totus Mundus eo fruitur. Guilelmus super hunc locum ait: *Vnicus huius Virginis fructus est, qui ab efficacitate salutis dictus est IESVS: Sed in illo fructu, multiplex est fructus. In vno Salvatore omnium IESV, plurimos*

rimos Maria peperit ad salutem, pariendo vitam, multos peperit ad vitam: eo ipso, quod Mater est capitis, multorum membrorum Mater est.

PIÆ CONSIDERATIONES.

I.

Plena est Sacra scriptura similitudinum, & parabolarum de Agricola, & agro, vinea, horto, arbore &c. quibus omnibus significatur Deum nō tantum ab Ecclesia, quam fundauit, & excoluit, sed à quouis homine Christiano fructum expectare. Hinc verbum Dei semini comparauit, animam verò nostram, aut cor hominis, agro, vineæ, aut palmiti, seu arbori &c. Summa omnium horum est, quod Christus suis discipulis, in vltima exhortatione sua dixit: *a Ego posui vos, vt eatis & fructum afferatis,*

a Ioan. 15.

& fru-

& fructus vester maneat. Hinc infructifere ficui maledixit, & omni arbori, ac palmiti non ferenti fructum, excidium, & ignem minatus est.

2.

Anima ergo, & conscientia nostra, hortus est, nobis excolendus traditus. Hinc ne siluescat, sulcari debet, zizania euellenda, terra bona procuranda, vt semen nec super lapidem, nec in spinas cadat. Terra bona est, quæ fructum affert in patientia, tractabilis, quæ pluuias suauiter imbibit, etiam gelata in hyeme, femina sibi credita, integra seruat. *Curemus habere lilia, fratres, exstirpare spinas & tribulos, & inserere lilia festinemus: si quando fortè & ad nos pascendos dignetur Dilectus descendere, qui pascitur inter lilia. Apud Mariam vtique pascebatur, idque copiosius pro multitudine liliorum. An non lilia, Virginitatis decus, humilitatis insigne, supereminetia charitatis? Erunt tamen & nobis lilia, quamuis inferiora valde;*
sed

a. S. Bern. Serm. de Aqueductu.

sed ne inter hæc quidem dedignabitur pasci Sponsus.

3.

Semina etiam bona procuranda, ex auida auditione Verbi Dei, lectione librorum spiritualium, S. Scripturæ, Vitæ Christi & Sanctorum.

4.

Flores, Virtutes inquam plantandæ, quæ ornant hortum nostrum: fragrant enim grato odore coram Deo & hominibus. Habet Virtus originem, & pulchritudinem suam ex Deo, qui est forma omnis perfectionis. Etiam Ethnicis Virtus pulchra videbatur, quin & in hoste quoque grata. Qui magis accedit ad imitationem illius infinitæ perfectionis, eò plures sui admiratores, & amatores habebit. *a Quem dabitis horto similem, nisi cuius anima spiritualibus sic affectibus redolet, sicut aromaticis floribus hortus?*

O 2

Arbo-

a S. Bernh. Serm. 35. in Cant.

5.

Arbores quoque plantandæ, quæ fructum afferant: Ideo stercorandæ exercitijs humilitatis, memoria mortis, contēptu sui &c. nimium luxuriantes putandæ, secandæ cultro mortificationis. *a Quid proderit plantatio facta ad virtutes, si desit purgatio ad vbertatem.* Optandum etiam nobis, & orandum, vbi nos officio nostro desumus, vt cœlestis Agricola id faciat: atque ita culter eius patienter ferendus, quia purgat vt fructum plus afferat.

6.

Rigandus etiam hortus noster est lacrymis pœnitentiæ, compassionis proximi, amoris Dei, & ex desiderio collium æternorum ortis.

7.

Muro quoque, vel sepi muniendus, vel vepribus, & spinis horridis, ne singularis feras depascat eum. *Omni custodia serua cor tuū, quia ab ipso vita procedit.* *b Nihil con-*

a Ibid. *b Prou. 4.*

hil confert cultura diligens disciplina, si custodia desit, inquit S. Bernhardus. *a* Ad hanc custodiam pulchrè hortatur S. Ambrosius suam Virginem his verbis: *b* Hortus clausus es Virgo, serua fructus tuos. Hortus clausus es filia, nemo auferat sepem tui pudoris. Et paulo infra: Porta clausa est Virgo, nemo aperiat ianuam tuam, quam semel clausit Sanctus, & verus, qui habet claue[m] David, qui aperit, & nemo claudit, & claudit, & nemo aperit. Aperuit tibi Scripturas, nemo eas claudat: clausit pudorem tuum, nemo aperiat eum. hoc omni animæ deuotæ, suo modo dictum velim.

O R A T I O.

Hortus conclusus es, O delitijs affluens æternum felicissima Virgo Maria, hortus conclusus es, & cui licebit ingredi, atque illa amœnitate frui? Neminemne admittis? Audio te inuitantem Sponsum tuum; Veniat dilectus

O 3 meus

a Serm. 35. in Cant. *b* De instit. Virg. c. 9.

meus in hortum suum, & comedat fructum pomorum suorum. Utinam hunc comitari liceat. Fateor indignus sum, qui inuiter: Ah admitte tamen me, vel vltro venientem, & ostium pulsantem. Non sum vulpecula, quæ vineas demoliatur, nec Harpya omnia fœdans, sed folers, & argumentosa Apicula, quæ flores tantum libat, & mel colligit. Ah fruar illa amœnitate, & florum varietate. Audio tamen te etiam alios liberaliter inuitare: a Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, & à generationibus meis implemini. Omnes, inquis: Ecce adsum: b Emissiones tuæ pretiosæ sunt, & variæ; Nardus & crocus, fistula & Cinamomum, myrrha & Aloe, cum omnibus primis vnguentis. Ecce curro in odorem vnguentorum tuorum. Mater es, non soles filios tuos excludere; viscera noui: haftenus tamen tenuisti me dextera tua, & pio, ac materno affectu deduxisti me. Introduc me, obsecro, in hortum tuum.

a Eccl. 24.

b Cant. 4.

tuum. Sufficit animæ meæ, vt vel admirer, & recreer fragrantia florum, & fructuum tuorum. Si id indignissimo mihi neges, Ecce, & ego adornauì hortum, humillimè te inuito. *Veni in hortum meum Electa ex millibus*, nec flores quidem, nec fructus expectatos, & te dignos offerre possum, Veni tamen, Ah veni, & doce me terrena desideria horti mei, cordis inquam mei, pala mortificationis subigere, lolium, tribulos, & spineta vitiorum meorum stirpitis eradicare, electos ferere flores, probatos plantare surculos, qui spem fructus præbeant, vt & Ego tandem Dilectum in hortum meum inuitare, eique flores, & fructus gratos offerre queam: Quæ in cælis coronata triumphas per omnem æternitatem, Amen.

FONS SIGNATVS.

PVTEVS AQVAVM VLVENTIVM.

Vide supra Vena Vitæ. fol. 220.

Etum
uitari
iter:
veni-
sum
nec
& ar-
tūm
nce-
o ta-
re: &
me,
Om-
s tue
ocus,
Aloe,
Ecce
later
isce-
ede-
i de-
hortū
uum,